



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis

Sang, Eucharius

Wirceburgi, 1607

Capvt XXVI. Paralyticus priorem valetudinem recipit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

CAPVT XXVI.

Paralyticus priorem valetudinem recipit.

Nter eximios & illustres honoris titulos, qui DE I Matri dari solent, haud postremus est, quod in precibus, quas ad eam Christiani fundunt, Vita nominetur. Et vita sanè est; vitæ namque auctorem nobis peperit, ægrisque valetudinem restitui, ac vitam integrari, sua deprecatione impetrat. Istud esse verissimum, sequens miraculum luculentissimè ostendet, non pridem, nec procul, sed quasi in huius vrbis conspectu patratum.

Pagus Wirtzburgo vicinus est, nomine Rusbrun, & milliarum modico abiunctus. In eo, Georgium Guilhelmmum morbus inuadit, qui temporis successu vires acquires ac inualescens, membrorum usum illi adimit. Lecto itaque non rarò decumbit. Morbi vehemètia ac magnitudo faciunt, vt nec ipse quiescat, nec alios capere quietem sinat. Et cum spes nulla affulget in medicis, sperat morbi leuamentum, quin curationem integram à DEO; quem eapropter rogat supplex, vt per Matrem, quam populi frequentia & concursus, in Sacello Dettelbacensi, celebrat, priorem sibi valetudinem

redde-

reddere dignetur. Vouet; se isthuc iturum, si conualefcat; & Benefactoribus fore gratissimum. Mirum; à voto, precibusque DEO factis, nouum vigorem membra acquirunt. Primùm ambulare incipit, & fulcris inniti ligneis, veteremque valetudinem & vires pristinas recipere. Demum ita valet, vt vegetus ac firmus, anno M. DC. VI. proxima Dominica post D. Virginis natalem, ad sacram & augustam Ædem ipsemet venerit, & in ara DEI matris, fulcrum ligneum beneficij diuini monumentum obtulerit, certissimumque valetudinis recuperatæ argumentum.

CAPVT XXVII.

Deiparæ meritis quorundam necessitatibus, cùm animi, tum fortunæ succurritur.

Rat constitutum apud me, narrationi Beneficiorum hîc imponere coronidem; sed noua communicata ab amicis (vtinam deinceps idem faciant plures) impetrarunt, vt faciliè sententiam mutarem, & in illis strictim recensendis, nouam implerem pagellam; etsi non annorum, quibus acciderunt, ordine accuratè habito.